

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur

Cartari, Vincenzo

Moguntiae, 1687

Cupido

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

mini propria. Illi ergo, ex Aristotelis sententia, cui Felicitatis imago consentit, felices dici poterunt, qui & studiosi sint, & divites. Cebes Thebanus in Tabula hoc modo Felicitatem descripsit; in eminenti quopiam arcis vestibulo ea in folio sedet, liberali ornata compta, sed non accurate, & florentissimo ferto coronata; ad quam omnes quidem aspirant, sed si tantum perveniunt, qui Virtutem ducem sequuti, cetera omnia post se dimiserint: is namque in illa fuit sententia, ut cum multis aliis diceret, virtutem solam se ipsa, etiam aliis omnibus praesidiis destitutam, ad bene, beatæque vivendum esse contentam. In cuius sententiam nobis est pedibus discedendum, si Christiane loqui volumus, de ea felicitate non intelligentes, quam vulgus appetit (ea autem non est felicitas, licet esse videatur) sed qua animi corpore hoc mortali exfuti, caelestibus illis sedibus perfruuntur. Ad quam illi perveniunt, qui divino lumine collustrati, hujus vitæ iter fide viva comite incedent, quæ per caritatem est actiosa.

C U P I D O.

OMNIUM animi perturbationum nulla equidem vehementior, aut perniciosior est amore, quem Græci *Ἔρως* dicunt. Itaque nihil mirum, si veteres, apud quos nullus non animi morbus, aut vitium numinis loco habebatur, Amorem Deum, & magnum illum quidem coluerint, cupiditatis turpitudini Divinitatis nomen obtendentes. Itaque varie eum expresserunt, prout varie in animis nostris vires suas exserit. Ejus autem imagines ita omnibus sunt notæ, ut quisque per se absque doctore (ita sumus fere ad hoc vitium proclives) si puerum depictum viderit, oculos fascia impeditos habentem, arcum tenentem, ex cuiusque humeris phœtra dependeat, Amorem eum libere affirmare aufit. Sed tamen non omnes æque rationem cur ita pingatur, reddere possunt. Id vero præcipue nos hoc in opere studemus, ut non solum undecumque possumus, Deorum imagines in medium producamus, sed & rationes ex probatissimis quibusque afferamus. Quamquam vero Cupido proprie animi cupiditati, quæ ad res venereas ferimur, à veteribus præponitur; non defuerunt tamen qui forte ad flagitium aliqua honesti specie decorandum, geminos cupidines excogitarunt, quales sunt Platonici, qui hoc colore foedissimos puerorum amores, quos, si Deo placet, gradus ad divinam contemplationem faciunt, honestissimos reddiderunt: quo quid absurdius potest excogitari? Platonici ergo geminam Venerem, geminorum Cupidinum matrem præclaro scilicet commento confinxerunt, cœlestem alterum, ex qua divinus ille Amor exstiterit, quo dicunt, animos nostros ad divinarum rerum contemplationem inflammari: hunc in cœlo habitare illi affirmant, quod & Philostratus confirmat, eum unum esse scribens, in cœloque degentem, ubi cœlestia administrat: hunc vult esse purum penitus, atque sincerum. Itaque eum juvenili corpore, lucido, ac maxime pul-

*Veneres &
Cupidinus.*

cro

cro effingebant: eidem alas adjunxerunt, quibus animorum nostrorum, quos hic ardor incendat, ad cœlum volatus innueretur, divinas illas mentes, ab omni materiæ labè secretas, imitantium, quæ pro se quæque ad divinam pulchritudinem contemplandam sese extollunt: quæ in altissima cœli parte residens, suos radios quoquo versus emittit, quibus vehementes sui amores in omnibus excitet ad se amandum, atque omni cupiditate expetendum: hæ sunt acutissimæ illæ sagittæ: quas Cupido hic juxta horum sententiam, jaculatur. Addunt, Amoris divini puritatem, pellucido hujus corpore, si quis id recipere velit repræsentari: alis quarum est munus, gravia per se corpora, ac humi fidentia, in sublime attollere, ejusdem vires exprimi, quibus mentes nostræ ad divina illa contemplanda evehuntur. Sagittas dicitant, ad divinæ lucis radios, quibus multipliciter feriamur, posse referri: ut his excitati, ad eam, mentem, animumque convertamus, ejusque pulchritudine mirabiliter capti, humana omnia, ac terrena usque adeo contemnamus, ut non nisi iis tamquam gradibus ad cælum utamur. Id visus est velle dicere Franciscus Petrarcha in quodam pœmatio, in quo Cupidinem, à se in jus vocatum ita suam causam dicentem inducit;

*Quodque magis cunctis miraberis: utimur alis,
Vos quibus ad cælum contenditis, hisce creatis
Vientes gradibus: qua si quis penderit aquis
Momentis, homines relecta ad sublimia tollunt.*

Sed vehementer timeo, ut ex tam lubrico loco evadant, qui præclaris his auditoribus utentes, in turpissimi amoris muliebris, aut longe tœdioris, puerili: cæno se insipientes, faustis avibus sperare audeant, se indidem alis sumptis, ad altissimam cæli partem evoluturos. Iidem tamquam extremam manum ad hunc à se excogitatum cœlestem Cupidinem exornandum addunt, eum Soli similem esse, qui per universum mundum radios suos dividat, & si forte in levia, ac lucida corpora incurrat, radios ex eis elicitos ad sese reflectat: itemque sicut Sol quodcumque sua luce afficit, calefacit etiam; ita & Amor, quorum in pectoribus se inseruerit, eos magnis ardoribus erga caelestia (quod illis faustum sit) mirifice incendit: ad quod innuendum, jactitant, Cupidinem, accensam habentem faciem effingi solere: utque res ad amissum quadret, jubent, hic in amoris face quod lucet tantum, quodque oculos oblectat, nos considerare, ejus rei cogitatione omissa, quæ comburat, lædatque corpora, quibus appropinquet; quæ ex parte cum terreno Cupidine consentit, qui nullam unquam sinceram voluptatem præbet, quæ sit ab omni mœrore libera sed ita ea inter se commiscet, ut in face splendor qui oblectat: & flamma; quæ torquet, juncta mutuo sunt. Ita Plutarchus sensit, quem alio modo à Stobæo citatur in capite de eo, quod Amor non sit judicium ubi querit, quamobrem Cupidinem faciem gestare, Poëta tradant & scul-

*Cupidinis
sagittæ.*

*Cupidinis
alis.*

*Cupidinis
sagittæ.*

ptores effingant : respondetque, quoniam, quod ignis splendidum est, suavissimum; quod vero adustivum, molestissimum. Quod ille à Platone est mutuatus, qui in Timæo scribit, Amorem in nobis ex voluptate, & dolore esse permistum : qui quidem Amor ex Vulcano, ac altera Venere, quam vulgarem, mundanam, terrenamque Plato appellat, ortum traxit, terrenus & ipse, vulgaris, lascivusque, ut de eo Poëtæ fabulantur. Itaque Seneca in Octavia ita suis quasi coloribus pinxit;

*Volucrem esse Amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus
Arcusque sacros instruit sava face;
Genitumque credit Venere, Vulcano satum
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est, juvena gignitur, luxu, otio
Nutritur inter Lata Fortuna bona
Quam si fovere, atque alere desistas, cadit,
Brevisque vires perdit extinctus suas.*

Gemini ergo sunt Amores; bifariam enim amamus recte quidem, cum scilicet erga honesta afficimur animo; turpiter cum turpia appetimus? qui Amor turpis, atque inhonestus dicitur, sicut ille honestus, atque laudabilis habetur. Sunt qui velint duorum veneris filiorum, unum esse appellarique Anterota, id est, Amori contrarium, quod per eum nos ab aliquo vehementer abhorreamus. Sed toto cælo aberrant, qui sunt in ea sententia: nam Anterotis vis non in eo est posita, ut nos amore penitus exsuat, sed quod de eis pœnas sumat, qui amati, non redamant. Quod ex Pausania, ac Suida patet, quicquid causam turpissimam illam quidem referunt, cur Athenienses statuam, atque aram Anteroti posuerint. Statua erat hujusmodi; puer nudus, ac formosus visebatur, in ulnis Geminos generosos gallos, et se in caput impellentes habens. Anteros ergo non Amoris abolitur, sed potius mutuus amor erat: quod Porphyrius confirmat, sic alicubi dicens; Cum Cupido infans parum coalesceret, Venus Themis Deam consuluit, quæ Veneri responsum tulit, Cupidini Anterota necessarium esse, qui rependat vices, & mutuatam vicissim dent operam, cui Venus acquiescens, Anterota genuit: quo vix dum nato, Cupido adolesce cœpit, & alas, pennasque explicare: quin, quoties præfens Anteros adesset: Cupido formosior, & procerior, absente illo contra accidere videbatur. Amor ergo tum augetur, cum erga eum est, qui & ipse quoque amet. Apud Eleos duo puerorum simulacra visebantur, quorum alter erat Anteros, qui ramum illum ab ejus manibus extorquere summa vi nitebatur: sed suam operam ludebat: hoc veteres illi: veræ religionis expertes, innuebant, eum qui redamat, summo studio conari debere, ut in amore superet, vel certe æquet eum qui prior provocarit. Magnum Cicero, quemadmodum Lactantius lib. I. refert audaxque consilium suscepisse Græciam dicit quod Cupidinem, & Amorum simulacra in Gymnasiis

*Anterotis statu-
ma.*

ra-
est
ore
am
us
ia

li-
or
ur.
ta,
re-
on
qui
ná
nt.
os
ris
tu-
n-
qui
n-
ue
o-
um
cra
x-
li :
ari
la-
ma
na-
fijis

Imago. 81.



fis
fami
dum
qu
bidia
non
& H
debe
Am
om
rio,
qua
anti
batu
vife
exti
ama
Sed
nelo
obl
Pau
seri
guf
ani
tip
ctu
tose
lia t

Ph
ph
no
tus
am

fiis consecrasset : adulatus est videlicet Attico & irrisit hominem familiarem : non enim illud magnum, aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis. Cui incommode forte Romani ut obviam irent, non Cupidinem solum in gymnasiis, sed eum medium inter Mercurium, & Herculem collocabant; ut significarent, eum cum virtute, ac ratione debere esse conjunctum. Athenæus scribit, antiquos Philosophos sensitse Amorem (si quis id facile admiserit) esse admodum gravem Deum, & ab omni turpitudine alienum, ut vel ex eo intelligi potest, quod eum cum Mercurio, & Hercule copularint, quorum ille eloquentiæ, hic fortitudini præest, ex quarum virtutum societate, amicitia, atque amor existat, necesse est. Apud antiquos erat etiam Amor Lethæus nuncupatus, quo amor pristinus ponebatur, atque oblivioni tradebatur. Hujus statua in Veneris Erycinæ templo visebatur : is autem ardentes faces in profluentem aquam inclinabat, ibique extinguebat : de hoc Ovidius meminit, refertque, ad id templum omnes amantes confluisse, qui amatarum rerum memoriam deponere cupiebant. Sed in Græcia morbo huic facilius consulebatur; nam si quis corpus in Senele flumine abluisse, quod non longe aberat Patris, confestim eos amores oblivioni tradebat, quorum sibi memoriam voluissent ex animo deleri. Sed Pausanias in Achaicis fabulam eam arbitratur. Plinius de quodam fonte scribit, qui apud Cyzicenos Fons Cupidinis dicebatur, ex quo quicumque gustasset, amores pristinos ponebat. Cupido si ea est animi cupiditas, qua animus noster in aliquid fertur, non simplex, neque duplex is fuerit, sed multiplex, ut Poetæ statuunt, qui suis fabulis animi nostri vires, variosque affectus exprimunt. Amores ergo Poetæ multos, eosque pueros, pulcellos, alatosque sinxerunt; quorum aliis in manus faces, aliis sagittas, aliis laqueos, aliis alia tradebant: quemadmodum Propertius lib. II. Eleg. xxix. facit, ita scribens;

*Hesternæ, mea lux, cum potius nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus:
Obrui, nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat (hos vetuit me numerare timor)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas
Pars etiam visa est, vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.*

Philostratus etiam in Imaginibus Amores multiplices facit, ac eos Nympharum dicit esse filios, quod Claudianus in Panegyrico nuptiarum Honorii, & Mariæ confirmat. Eos autem elegantissime sic describit; Est ibi hortus, ubi sunt plantarum ordines, in rectum incedentes, per quorum medium ambulandi facultas datur; mollis autem herba curriculos obtinet, & strati

Imago 81. a.

Cupido cum
Mercurio, &
Hercule.

Amor Lethæus.

Multiplices
Cupidines.

instat

instar jacentibus sit: à summis autem ramis mala aurea, rufaque, ac lucida ad se excolenda universum Cupidinum examen attrahunt. Eorum pharetra inaurata, atque aurea, & quæ in ipsis sunt sagittæ: horum autem universus nudus est grex, levesque pervolant, cum malis ea suspenderit. Vario autem colore distinctæ vestes in herba jacent, quarum innumeri sunt flores. Neque coronati sunt capita, utpote coma ipsis sufficiente: pennæ cæruleæ, ac phœnicæ, & nonnullis aureæ; tantum non ipsum aera quodam percutiunt concentu. Quatuor formosissimi à cæteris secesserunt; quorum duo mala sibi mutuo mittunt; alteri duo mutuis se sagittis petunt: nec vultibus insunt minæ, sed pectora invicem præbent, ut illic saltem tela inhæreant. Hæc sunt Amoris mutui argumenta; nam qui pomo ludunt, amoris initium faciunt: unde hic quidem osculatus, jacit malum: hic vero supinis illud manibus excipit, indicans, se osculaturum, ac remissurum, si ceperit. Hinc fortasse Suidas illud mutuatus est, pomum scilicet alicui jacere, ad id referri, ut oum ad amandum provocet. Itaque Virgilius in tertia Ecloga ita quemdam pastorem dicentem inducit;

*Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.*

Duo, qui sagittis se petunt, amorem ceptum confirmant, perinde atque eum ad cor derivent. Hi igitur ludunt, ut amare iucipiant; hi vero, ne desinant, jaculantur. Ex altera parte lepus sub malis sedet, poma in terram cadentia edens, ac multa semesa relinquens: hunc venantur hi, & perterrefaciunt: hic quidem manuum plausu; hic vero clamitans; alius chlamydem concutiens: & hi quidem supervolant, feræ in clamantes: hi vero pedites ipsam per vestigia insequuntur: hic autem ut se ipsum immissurus irruit, fera alio conversa est; at hic leporis cruri insidiatur; hujus vero è manibus lapsus est. Itaque rident, & ceciderunt: hic quidem in latus, hic vero pronus, hi supini omnes errorem vario iudicantes habitu; nullus autem sagittas in eum mittit; sed vivum capere conantur, Veneri suavissimam hostiam. Nam de lepore dicitur, eum multæ participem esse veneris: fama est enim, scæminam quidem lactare quæ peperit, & in eodem lacte rursus parere, ac superfcetare, & nullum in ipsa vacare à partu tempus: quod & Plinius confirmat; dicitque inter eos nullam esse sexus differentiam, sed omnes utramque virtutem, masculi scilicet, & Fœmellæ possidere. Idem Lib. xxx. scribit, Vulgus gratiam corpori, in septem dies lepore sumpto in cibis, conciliari arbitrari, frivolo quidem joco; cui tamen aliqua debeat inesse causa in tanta persuasione. Huc pertinet Martialis iusus in Gelliam, qui lib. v. habetur, sicque habet;

*Si quando leporem misit mihi, Gellia, dicitis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.*

*Leporis cum
Veneris con-
venientia.*

*Si non derides, si verum, lux mea narvas,
Edisti numquam, Gellia tu leporem.*

Lampridius scribit, Poëtam quemdam in Alexandrum Severum, quod quotidie vesceretur Leporina, ita luisse:

*Pulcrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago:
Venatus facit, & lepus comestus,
Ex quo continuum capit leporem.*

Sequitur Philostratus; Inepti autem amatores amatorum quoddam lenocinium in lepore esse existimaverunt, violenta quadam arte suas aucupantes delicias: hoc autem scelestis hominibus relinquatur, minimeque ut redamantur, dignis. Hæc est elegantissima Amorum descriptio ex Philostrato; quam huc attulimus, ut sciremus, Amores esse multos, omnesque pterellos, nudos, crispa, flavaque coma, verficoloribus alis, interdum facem accensam gestantes, interdum sine face se ostendentes; arcu etiam aliquando, pharetra, & sagittis armatos, quandoque suis armis exfutos. Itaque Silius Italicus lib. VII. describens Amores, qui Venerem sunt comitati, cum ad Paridis iudicium est profecta, ita eos expressit:

*Tum matris currus niveos agitabat olores
Tempora sollicitus litis servasse Cupido.
Parvulus ex humero corinus, & aureus arcus
Fulgebat, nutuque vetans trepidare parentem,
Monstrabat gravidam telis se ferre pharetram,
Ast alius nivea comebat fronte capillos
Purpureos, alius vestis religabat amictus.*

Aptuleius, cum Venerem in scenam, Amorum comitatam inducit, eos pueros candidissimos dicit, qui cælitus descendunt, aut ex mari emergunt, alas in humeris, sagittas ad latus, faces in manibus habentes: alibi que scribit, Amorum populum Venerem comitari: sunt enim infinitæ hominum cupiditates: eaque amantur, quæ cupiuntur: nam vix quisquam id perpendit, recte ne an male amorem suum alicubi collocet, id unum spectans, ut suam libidinem exsatiaret, quamvis ratio ipsa repugnet: quam amor suscipit, cum se feceris voluptatibus mancipavit. Itaque is nos in sua potestate detinere dicitur: id vero laqueis innuitur, qui Amori tribuuntur. Verum Amor est laqueus. ne amplius de Amore multiplici, at de unico tantum loquamur. Plato in Symposio Agathonem Amorem laudantem, ejusque naturam explicantem inducens, ita dicit: Amor est omnium pulcerrimus: nam cunctorum Deorum Amor omnium Deorum maxime juvenis. est maxime juvenis: quod vel ex eo maxime patet, quod is semper à senio refugiat, etsi illud ipsum per se est velocissimum, citiusque accedit, quam esset opus: id Amor naturali quodam odio prosequitur, & prorsus aver-

*Amor tener,
& mollis.*

Ate.

fatur; juvenibus vero semper se miscet & cum iis versatur; nam veterifertur proverbio, simile simili semper haerere. Igitur juvenis est, & praeterea mollis, ac tener: id eo pacto comprehari potest, quo Homerus Aem, id est, Calamitatem Deam esse ait, & quidem teneram; illius enim pedes aut esse teneros: rationem vero subjuugit, quod scilicet illis numquam solum tangat, sed hominum cervices calcet: ita de Amore dicere possumus, eum esse mollem, ac tenerum: quod non per solum, neque saxa, neque quidpiam, quod sit durum, incedat; sed tantum mollissimis quibusque insistat, ibique, perpetuo degat; huiusmodi sunt hominum animi, neque tamen omnes; nam, si durum offenderit animi habitum, discedit, sin mollem, ibi domicilium suum collocat, quin etiam aquae instar, liquidus est, & lubricus; non enim undique omnem animum completi posset, & clam influere, aut effluere, si durus esset, ac rigidus. Congruentis autem, & humidae formae magnum argumentum esse potest decora, & consentanea partium constitutio: qua Amor ex omnibus rebus haud dubie unus praeditus est: nam deformitas, & amor sempiterno quodam bello inter se decertant. Quod vero hic Deus in floribus vitam agit, significat coloris pulcritudinem; in eo enim, quod floribus caret, vel defloruit, sive corpus, sive animus, sive quidvis aliud sit, Amor ipse non insidet: ubi vero floridus, & odorifer est locus, ibi & confidit, & permanet. De huius Dei pulcritudine permulta insuper afferri possent; sed Plato hic finem de ea dicendi facit; ex cuius verbis id concludamus licet, Amorem esse juvenem, tenerum, mollem, delicatum, corpore optime coagmentato, ac colore praestantissimo praeditum. Subtilius eum Apuleius in fabula Plyphes descripsit, cum narrat, eam contra suum praecipitum ad lucernam Amorem contemplatam esse; ubi eum vidit caesariam auream habentem, mollemque ex ambrosia, qua conspersa erat; inspexit ejus cervicem candidissimam, genas purpureas, crines crispas, ac multipliciter intortos, qui partim per humeros vagabatur, partim faciem inumbrabant: quique etiam tantum ex se splendoris emittebant, ut lucernae lumen apparere non sinerent: ejus humeris duae alae inharebant, recentiore madefactae, cujus plumae quamvis loco non moverentur, tamen veluti levi vento agitatae leniter commovebantur. Totum denique ejus corpus erat ita elegans, ac lucidum, ut Venerem poenitere non posset, eum peperisse. Is arcum, pharetram, ac sagittas humi prope lectum deposuerat. Ei Apuleius nequaquam oculos fascia velat; vel quod tunc opus non esset, cum eum dormientem fingat: vel quod in eorum sententiam abeat, qui putant, illum minime caecum esse, inter quos est etiam Franciscus Petrarca, qui eum se vidisse scribit:

Non oculis captum, Pharetra sed enim, atque sagittis

Armatum, nudumque (rubor ni praeber amictus)

Alatum puerum, non pictum, ac vivere credas.

Moschus

Moschus quoniam etiam Poeta Graecus ei lucidos oculos tribuit, cum fingi-
cum errant in a matre Venere inquiri. Eius poema quod Amor fugitivus
inscribitur elegantissimum, ab Angelo Politiano in Latinum conversum,
vilius est hic adscribere: est autem ejusmodi:

*Cum Venus intento natum clamore vocaret,
Si quisquam in trivis errantem vidit Amorem,
Hic fugitivus, ait, meus est: pretium feret index.
Insignis puer est: totam hanc cognosce figuram:
Corpore non urveus: verum ignem imitatur: ocelli
Acres, flammicoli: mala mens, suavissima verba;
Quod loquitur, non sentit idem: vox mellea: sed cum
Ira inflammatur, tum mens illi effera: fallax,
Frangatur, mendax: ludit crudele puellus.
Crispulus est illi vertex, faciesque proterva:
Exiguaque manus, procul autem spicula torquet:
Torquet in umbriferumque Acheronta, & regna silentium
Membra quidem nudus, mentem velatus, arvisque
More citans pennas, nunc hos, nunc advolat illos,
Saepe viri pressans praecordia, saepe puella.
Arcum habet exiguum, super arcum imposta sagitta est:
Parva sagitta quidem, sed caelum fertur ad usque:
Parva pharetra olli dependet, & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille protervus
Me quoque saepe ferit matrem: sunt omnia sava
Omnia, seque ipsum multo quoque saevius angit:
Parvula fax olli, sed & ipsum Hyperiona vincit.
Verberare, si prendes, age: ne misereve puellum:
Si silentem aspicias, ne mox fallare caveto:
Sin aridebit, magis atrabe: & oscula si fors
Ferre volet, fugio: sunt oscula noxia, in ipsis
Suntque venena labris. Si fors ita dixerit: Heus tu
Accipe: nempe tibi cuncta hac mea largior arma:
Ne quidquam attigeris fallacia munera Amoris:
Omnia namque ignis sunt infecta illius arma.*

Hæc Amoris imago, mirifice ejus vires, atque effectus adumbrat. Itaque
non injuria is coloris rufi ac pene ignei ibi describitur. Unde fortasse Fran-
ciscus Petrarca in Amoris triumpho exemplar est mutuatus, cum cum su-
pra ignitum currum imposuit, ita dicens.

*Igneus est illi currus, qui nudus, & infans
Apparet, plenam telis fert ille pharetram
Ex humeris, arcumque manu idem in praelia gestat.*

Quod ardentis amantium cupiditatis est argumentum, quæ cum spe rei amatae obtinendæ conjuncta, magis semper accenditur; ut Alexander Aphrodisæus quodam in problemate testatur, ubi querit, Cur amantium partes extrema modo frigida sint, modo calida; ad quam dubitationem respondet; ejus vicissitudinis causam esse spem, atque timorem, cum enim cor sedes, fonsque vitæ existat, ex quo in reliquum corpus spiritus derivent, qui ei robur, vigoremque suppeditent, cum id aliquo dolore opprimatur, non solum nullas potest ex se in aliena loca suppetias emittere, sed etiam antea emissas ad sese revocat, ut inde magis ad conficiendum cum dolore illo corroboretur. Atqui amantes maxime omnium dolent, cum vident se spe omni rei amatae potiendæ exclusos. Itaque minime mirum videri debeat, si extrema eorum partes interdum frigeant. Ea dem calefcunt quandoque, cum scilicet amans in spem venit, fore ut tandem aliquando re cupita fruatur: cor enim præ lætitia quodammodo dilatatur, & ad cæteras corporis partes concepti gaudii nuncia emittit. Alii sunt vivi quidam spiritus, qui corpus universum calefaciant, eique ruborem quemdam inducant. Sed alii existimant potius à verecundia ruborem hunc oriri, perinde atque animus sibi conscius, se, cum corporis voluptatibus dat operam, ab honestate recessisse, latere studeat. Itaque velati velo, rubore eam partem obtendat, quæ præcipue est verecundiæ sedes. Cæteræ Cupidinis partes, ejusque arma à Servio in Æneid. exponuntur, is ita dicit, quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur, item quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero: quod etiam Virgilius in IV. Æneidos in Didone ostendit, dicens,

Incipit effari, mediaque in voce resistit.

Alatus autem ideo est, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur, ut apud Virgilium in ipsa Didone probatur, quæ paullo post eum quem tantopere amaverat, capitali odio insectatur. Et Terent. in Eunuchis id ita expressit,

In amore hæc omnia insunt vitia, injuria,

Suspiciones, inimicitia, inducia:

Bellum, pax rursus.

Itaque Franciscus Petrarca postquam varios alicubi affectus amatorios longa oratione est prosecutus, ita concludit,

Summa sit, inconstans nimium est (heu) vita in amante;

Est audax, eadem magni est & plena timoris;

Paululum dulcis habet, multum commisceat amari.

Sagittas vero idcirco gestare dicitur, aut, quia & ipse, ut illæ incertæ, velocesque sunt, neque semper feriunt quo destinantur, quemadmodum de amantibus diximus, qui cito sententiam mutant, neque semper eo perveniunt, quo aspirant: aut quod sicut illæ sunt acutæ, ita conscientia vellicatio

post

*Rubor in amantibus
cur.*

rei
le-
ur
ca-
um
le-
ni
in
lo
pe
fi
m
or
n-
r-
is
m
a-
az
a-
ia
in

r,
a-
r-

s

o
k

Imago. 82.



po
qu
C
fi
de
ba
Al
et
pu
po
be
bu
fic
ato
dar
de

In
rin
bat
pe
to
foc
bra
nan
ten
lapi
ter
viri
pot

post patrata flagitia amatoria, animum fodicat, qui post factum, tandem aliquando se perperam gessisse advertit: aut etiam Amoris sagittæ ejus in nos celerem adventum innuunt, nam sæpe vel primo aspectu sine ullo animi sensu, homines rei visæ pulcritudine mirifice incenduntur: quo is spectasse videtur, qui Cupidini in manus fulmen tradidit, prout in Curia Octaviæ viscebatur, cujus rei, ut scribit Plinius, auctor ignorabatur: sed id affirmabatur, Alcibiadem fuisse principem forma in ea ætate, in cujus clypeo ita erat pictus, perinde atque, sicut Jovis, Deorum principis proprium est fulmen, ita is pulcritudine longe cæteris mortalibus antecederet. Sed illud fortasse dici possit, visum esse, Amori non satis esse, ad ejus vires exprimendas, faciem præbere, sed potius fulmen tribuendum, quandoquidem hoc non solum ea comburat, quæ facile ignem concipiunt, sed illa quoque statim incendat, quæ difficile ab igne corripit, omnia etiam perumpat, diffingat, comminuatque, quæ offenderit, quamvis ea sint durissima, idem quæquam mirabili quadam celeritate pervadat: quæ omnia mirifice in Amoris vires quadrare videntur: quod optime à Propertio, quadam in Elegia lib. II. sic describitur,

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,

Nonne putas miras hunc habuisse manus?

Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,

Et levibus curis magna perire bona,

Idem non frustra ventosas addidit alas.

Fecit et humano corde volare Deum:

Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,

Nostraq; non illis permanet aura locis.

Et merito hamatis manus est armata sagittis,

Et pharetra ex humero Gnosa utroque jacet:

Ante ferit quoniam, tui quam cernimus hostem,

Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

In Templo etiam Æsculapii fuisse Cupidinis simulacrum, Pausanias in Corinth. refert, Pausaniæ opus, ubi Cupido abjecto arcu & sagittis, Lyram tenebat. Idem in Achaicis scribit, se Ægira in quadam adicula Cupidinem prope Fortunam astantem vidisse: quod eo spectat, ut intelligamus hanc in amatoriis rebus plurimum posse: licet & ille magnas vires habere, per nostram foecordiam, vulgo existimetur. Has immensas, ut ajunt, Amoris vires adumbrasse volunt Acusilaum, qui ut Plinius lib. xxxvi. refert, marmoream leonam effinxit, aligerosque cum ea ludentes Cupidines; quorum alii religatam tenerent, alii è cornu cogerent bibere, alii calciarent sociis: omnes ex uno lapide. Omnium animantium sine controversia Leo est ferocissimus: sed inter eos femina masculo efferatis moribus longe præstat; hæc tamen amoris viribus cedere dicitur. Cum igitur stulta hominum opinione sit Amor adeo potens; hinc illud jactatum est;

Omnia vincit Amor.

D d 3 Ideo-

Imago 82. a

Cupido cum
Fortuna.

Ideoque poetæ callidimendaciorum artifices sunt fabulati ab Amore Panem devictum esse, qui prior eam provocaverat: quod si ad res naturales trahere volumus, significare potest, rerum naturam, quam Pan suo nomine repræsentat, cum ab initio operari incepit, statim etiam suis operibus esse delectatam. Ea igitur huiusmodi delectatione capta, Amorem quodammodo provocavit: qui illam suis viribus ita sibi subiecit, ut nihil illa absque eo umquam audeat moliri. Hinc elementorum inter se discors concordia existit, quæ mirabili quodam consensu ad rerum omnium coagmentationem cœunt. Platonici quoque in ea sunt sententia, ut putent, animos nostros è cœlo in mortalia hæc corpora delabi, cum Amore quopiam erga ea teneantur; eosdemque his vinculis exutos, ad cœlum conscendere, cum terrenorum amore vacui, totos se ad cœlestia amanda convertunt. Quidam etiam asseruerunt, duas in cœlo januas esse, per quarum unam animi è superioribus ad inferiora descenderent, per alteram è contra ab his ad illa conscenderent: hanc Deorum illam hominum dixerunt: ambarum januarum claves penes Amorem esse Orpheus volebat, ita ut absque ejus arbitrio nemini transitus ex uno in alterum locum daretur. Quare non absurde Amor, Geminas in manibus claves habens depingi posset. Sed non ita semper poetæ Amorem omnium domitorem prædicarunt, quin interdum & ipsum victum inducant, quemadmodum Ausonius in quodam elegantissimo poemate fingit, cum in myrto, tamquam in patibulo quondam suspensum, suorum facinorum abunde pœnas dedisse. Id ob ejus mirabilem quemdam leporem visum est huc adscribere. Est autem hujusmodi;

*Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes:
Orgia ducebant Heroides, & sua quaque,
Ut quondam occiderant, lethi argumenta gerebant
Errantes silva in magna, & sub luce maligna,
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloso lumine mercent,
Scripti olim regum, & puerorum nomina flores,
Miratur Narcissus, & Oealibes Hyacinthus,
Et crocus auricomans, & nurice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Ajax.
Omnia que lacrymis, & amoribus anxia mœstis,
Exercent memores, obita jam morte, dolores,
Rursus in amissum revocant Heroidas avum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Desist, & ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, sexu gavisa virili,
Mæret in antiquam Cœnis revocata figuram.*

Vulne-

*Vulnera siccat adhuc Procris : Cephalique cruentam
 Diligit & percussa manum. Fert fumida resta
 Lumina Sestiacæ præcepit de tarre puella.
 Et de Nimbofo saltum Lencate minatur
 Mascula Lesbicis Sappho peritura sagittis.
 Harmonia cultus Eriphyle mæsta recusat,
 Infelix nato, nec fortunata marito.
 Tota quoque aëria Minoria fabula Creta
 Picturarum instar tenui sub imagine vibrat,
 Pasivæ nivei sequitur vestigia tauri.
 Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.
 Respicit abjectas desperans Phædra tabellas.
 Hac laqueum gerit : hac vana simulacra corona.
 Dadalia pudet hanc latebras subuisse juvenca.
 Præceptas quaritur per mania gaudia noctes,
 Laudamia duas vivi, funtisque mariti.
 Parte truces alia strictis mucronibus omnes
 Et Tysbe, & Canace, & Sidonis horret Elissa.
 Conjugis hac, hæc patris, & hæc gerit hospitis enses.
 Errat & ipsa, olim qualis per Latmia saxa
 Eudymioneos solita affectare sopores
 Cum face, & astrifero diademate Luna bicornis.
 Centum alia veterum recolescentes vulnera amorum,
 Dulcibus, & mæstis refovent tormenta querelis.
 Quas inter meotas surva caliginis umbram
 Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
 Agnovere omnes puerum, memorique recurse
 Communem sensere reum; licet humida circum
 Nubila, & auratas fulgentia cingula bullas.
 Et pharetram, & rutila fuscarent lampados ignem;
 Agnoscunt tamen : & vanum vibrare vigorem
 Occipiunt : hostemque unum, loca non sua nactum,
 Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
 Facta nube premunt, trepidantem, & cassa parantem
 Suffugia, in cæcum media traxere caterva.
 Eligitur mæsto myrtus novissima luco,
 Invidiosa Deum pænis cruciaverat illic
 Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonim.
 Hujus in excelsis suspensum stipite Amorem,
 Devinctum a tergo palmis, substriltaque plantis
 Vincula marentem, nullo modocramine pans.*

Afficiunt: reus est sine crimine, iudice nullo
Accusatus Amor: se quisque absolvere gessit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpae.
Cuncte exprobrantes tolerati insignia Leti
Expediunt: hac arma putant, hac ultio dulcis,
Ut quo quaque perit, studeat punire dolorem.
Hac laqueum tenet: hac speciem mucronis inanem
Ingerit: illa cavos annes, rupemque fragosam,
Insanisque metum pelagi, sine fluctibus aquor:
Nonnulla flammis quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces, rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis lugentibus inque paventem
Gemmea steteri ferri jaculatur succina trunci:
Quadam ignoscentum specie ludibria tantum
Sola volunt: stilus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem:
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpa
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus,
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulusque accendit amaris
Ancipites Furias: natiq; in crimina confert
Dedecus ipsa suum; quod vincula caca mariti
Deprenso Mavorte tulit: quod pube pudenda
Hellespontiaci ridetur forma Priapi,
Quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis roseo Venus aurea sero
Marentem pulsat puerum, & graviora paventem
Olli purpureum multato corpore rorem
Sutulis expressit crebro rosa verberare: qua jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum,
Inde truces cecidero mina: vindictaque major
Crimine visa suo Venerem factura nocentem.
Ipsa intercedunt Heroides, & sua quaque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas:
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casto terrore quietem.
Quae postquam multa perpeffus nocte Cupido,

*Effugit, pulsa tandem caligine somni,
Evolet ad superos, portaque evadit eburna.*

VENUS.

ANTEQUAM Veneris imaginem describam, ejus naturam paucis adumbrandam, operæpretium duxi, ad causam eorum intelligendam, quæ inferius dicentur. Venus igitur libidinis, ac lasciviæ Dea habebatur, tamquam ea libidinem, lascivasque cogitationes in hominum animis injiceret, quas illa etiam ad opus deducendas curaret. Itaque eam Amoris matrem finxerunt, quod scilicet numquam fere mas cum foemina jungatur, nisi amore intercedente. Eandem etiam veteres, sicuti & Hymenæum, ac Junonem, nuptiis præposuerunt; eæ namque contrahuntur, ut per concubitum proles sequatur. Pulcritudo quin etiam in Veneris potestate esse credebatur, quam illa tribuere, adimereve cuilibet pro libito posset. Ea juxta physicos vim in animalibus cunctis insitam repræsentat, qua ad procreandum illæ excitantur. Quamobrem qui sentiunt, animum nostrum è cælo in corpus delabi, & ex singulis cæli globis varios affectus contrahere, ex Venere appetitum ad veneria illum fortiri asserunt. Alii etiam fabulas ad res naturales pertrahentes, Venerem, Junonem, Lunam, Proserpinam, Dianam, aliasque nonnullas Deas idem numen, diversas virtutes sub variis nominibus adumbrans, esse dicunt; quemadmodum hic ex diversis Veneris imaginibus cernetur. Habetur in fabulis, eam ex maris spuma exstitisse, ubi in id Saturnus patris Cæli virilia, à se abscissa projecisset: quod cum ab aliis multis, tum à Leone Hebræo optime in dialogis de Amore explicatur, cum ergo veteres illam è mari ortam exprimere vellent, eam inde emergentem, in concha stantem, adolescentulam, pulcerrimam nudamque depingebant: eandem interdum in mari natantem designabant. Huc Virgilius lib. v. *Æneid.* alludit, cum Neptunum Veneri respondentem inducit, in hæc verba;

Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,

Unde genus ducis.

Quare & Græci eam à *Φοιδρμη* à spuma appellant. In Jovis etiam Olympii templo, ut Pausanias in Eleis prioribus refert, Venus visebatur, quæ è mari emergens à Cupidine excipiebatur. Interdum eadem concham manu tenens, roseo sero redimita effingebatur; nam Rosæ ei sunt dicatæ, ut inferius latius dicemus: Concha autem, eam ex mari ortam innuit. Eam statim è mari Paphum appulisse dicebant, forte quod Cyprii, aut quod talem cæli positum sint sortiti, aut alia de causa, mirum in modum veneris voluptatibus sint dediti. Itaque præcipue eam cultu prosequiebantur, templumque illius apud eos exstabat, in quo ejus statua non humanam figuram præferbat, sed quoddam in basi latum, atque rotundum erat, quod paulatim in acumen vergebat: cujus

E c

rei,

*Venus libi-
dinis Dea.*

*Veneris op-
ima.*